

π c
844



QR. 532, 13

B. m. II, 646



ANALYSIS
VITÆ
T. POMPONI
ATTICI,

à
C. Nepote descriptæ,

DEI O. M. nutu, & inclyti Senatûs Philos.
indultu,

in

Disputationem proposita

SUB PRÆSIDIO

Dn. M. FRIDERICI RAPPOLTI, SS. Th. Baccal.
& Dialect. Philippææ Prof. Publ. celeberrimi, Præ-
ceptoris sui ætatem colendi,

à

JOHANNE SCHILTERO, Pegav. Misn. Phil. B.

Ad d. 17. Junii Anno M. DC. LIV.

H. L. Q. C.

LIPSIAE, LITERIS LANCKISIANIS imprimebat

Christophorus Cellarius.



22



50
V I R O

MAGNIFICO AC NOBILISSIMO

Dn. D. FRIDERICO TUN-
ZELIO; COMITI PALAT. CÆS. JCTO CE-
LEBERRIMO, SERENISS. SAX. ELECT. IN JUDICIO AP-
PELLAT. ET CONSISTORIO SUPREMO, REBUSQ.
CAMERAM IMPERIALEM CONCERNENTI-
BUS, CONSILIARIO GRAVISSIMO,

Dn. MAECENATI ET COGNATO SUO
OMNI OBSEQVIO OBSERVANTIA-
QVE ÆTERNA SUSPICIENDO.

NEC NON

NOBILISSIMO AMPLISSIMO Q.

V I R O

Dn. JOHANNI HANNIZ-
SCHIO, SERENISS. ELECT. SAXON. A
TABULIS RATIONUM CENSUALIUM RE-
DITUM PROVINCIALIUM,

Dn. PATRONO ET EVERGETÆ SUO
PERPETUO CULTU PROSEQVENDO,

HOC QVICQVID EST
PIETATIS ATQVE GRATITUDINIS
CAUSA

DAT, DICAT, CONSECRAT,
JOHANNES SCHILTER, PEGAVIENSIS,
AUTOR ET RESP.



Prooemium.



DPræclarè verò Philosophus V.
Nicom. VII. τὸ δὴ καὶ aliud *Φυσικόν*, a-
liud *νομικόν* esse docet. Quorum uti hoc
Bono Civi, ita illud Viro Bono Philoso-
phoq; præcipuè Christiano, cognitu ne-
cessarium est. Idem enim ejus & Scriptu-
ræ auctor est; & quid naturâ turpe quid-
ve honestum sit, monstrat. Neque tamen
sufficit naturalem Honestatis præ-
ceptionem, sed valde quoque juvat, quæ actio turpis, quæ honesta sit,
item an aut quousq; naturæ viribus Honestatē sequi contingat, judi-
care. Propter hoc enim istud suscipitur. Prior quidem opera, *θεσεως*
est, & in præceptis consistit; hæc *προθεσεως*, & exemplis occupatur.
Utraq; res ex iis, qui à Gratia Divina alieni, solam Naturâ ducē tum
in honestatis scientiâ, tum in ejusdem consuetudine & exercitatio-
ne securi sunt, disci potest. Istud quidem quum summè fecerit Ari-
stoteles, egregiè Tullius: Hoc quomodo Pomponius Atticus, de vi-
tæ integritate laudem apud suos præcipuam consecutus, præstiterit,
cognitione non indignum judicavi; ita quidem, ut ad Illorum præ-
scriptum, tanquam ad normâ Hujus vita, Divinâ favente aurâ, exi-
gatur. Nec verò arroganter hoc susceptum existimari velim. Nam
philosophandi scientiam concedens Doctis: quod est adolescentiæ
proprium, improbum discendi studium, si id mihi assumo, videor à
meo jure quodammodo vendicare. Quapropter magna illorum in-
genia,

Quos non hæc arbuta juvant, humilèsque myricæ,
tamen conatibus favebunt, meminerunt quippe ejus, quod olim
è Tullio didicerunt; Vivi non cum perfectis hominibus, plenèque
sapiantibus: sed cum iis, quibuscum præclarè agitur, si insint simu-
lacro virtutis.

A 2

IN



IN NOMINE JESU!

THESIS I.

*Actiones
Morales
sunt vel E-
thica sim-
pliciter,*

*vel Politi-
ca aut Oe-
conomica.*

*Considerā-
tur vel in
Dīctis, vel
ὑποθέσει.*

*Quemad-
modū hīc
Attici, ubi
considerā-
da*

*I. Actionū
Directrix
Prudentia*



Hilosophus Moralis mores & actio-
nes humanas, prout Honestatis seu Bonitatis mo-
ralis capaces sunt, contemplatur; & eas quidem
vel ut communes sunt & vagantes quasi per omne
vitæ genus, vel ut certo generi sunt adstrictæ, Poli-
tico putà & Oeconomico. Illas informat commu-
nibus Virtutum Præceptis; has speciatim Politicis & Oeconomicis.

Singulas vel *in Dīctis* vel *in ὑποθέσει*. *ἃ δ' ἐστὶ τῶν καθό-
λου μόνον, ἀλλὰ δ' αἰ καὶ τὰ καθ' ἕκαστα γνωρίζειν. Πρακτικὴ γὰρ ἢ ὑ-
ποθέσις περὶ τὰ καθ' ἕκαστα,* ut cum Philosopho loquar è VI. Nic.
VII.

TH. II.

Igitur contemplaturo prioris generis actiones, modo tamen
posteriori, atque omninò T. POMPONI ATTICI, EQV.
ROM. vitam, prout à C. Nepote literis ea mandata habetur, atten-
dendum esse videtur imprimis ad ipsarum Actionum Directricem,
tum ad mores ipsos, eorumque modum ac rationem. Quum enim
omnis actio hominis moralis aut mala sit, aut bona, bona quidem,
si secundum rectam rationem fit; mala verò, si minus: apparet nor-
mam Honestatis esse rectam rationem, hanc autem sola ostendit
Prudentia. Atque hoc est, quod Philosoph. VI. Nicom. XIII. ait:
Ὀρθὸς ὁ λόγος περὶ τῶν τοιαύτων φρόνησις ἐστίν. Et nescio, Virtutem-
ne generatim, an Prudentiam intelligat Tullius l. V. de Fin. In homi-
ne, inquit, summa omnis animi est, & in animo, Rationis: ex qua
Virtus est; quæ Rationis absolutio definitur. Quare quum id, quod
Actiones humanas morales ad Honestatis terminum deducit, sit
Prudentia; jure meritò hanc ante omnia, in Attico qualis fuerit,
contemplari fas est.

TH.



TH. III.

Duplex constituitur Prudentia, altera naturalis; altera acqvi- (1. natu-
 sita & propriè dicta, quæ Generis nomen apud Aristot. sibi vindicat, lis seu dei-
 sicut illa δεινότης nomine venit, causam agnoscens Naturam, ista νότης. 53
 verò usum & experientiam. Porrò quum Prudentia propriè dicta
 absque illa δεινότης sive solertiâ perfectè comparari non possit: l. c.
 Nic. c. XII. Ideò naturalem istam δυνάμιν in Pomponio nostro co-
 gnoscamus primò necesse est. Sed hanc admod. scitè rotundeque
 Nepos effert, quum IX. cap. § 1. ait: Si tantum eum Prudentem di-
 cam, minùs quàm debeam prædicem, quum ille potius divinus fue-
 rit; si Divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas. Quibus
 non obscure significat, id quod è Philosopho modò afferebam; ὅτι
 ἡ Φρόνησις ἔχ' ἡ δυνάμεις, ἀλλ' ἔκ' ἀνευ τῆς δυνάμεως ταύτης. Dicit
 enim Prudentiam istam, quâ polluit Pomponius, primò Naturalem
 fuisse Bonitatem. Quum enim duplex sit hæc solertia, alia quæ σκα-
 πὸν καλὸν habet, ac propterea laudabilis est, alia quæ Φαῦλον, &
 πανουργία seu Versutia Philosopho dicitur: Titi nostri solertiam
 laudabilem & bonam fuisse, non Versutiam quandam, ostendit. Et
 sanè quí aliter fieri potuerit, quum Atticus nunquam non Honesta-
 tem sequi laborárit?

TH. IV.

Sed naturalis hæc facultas luculentiùs ex Prudentia ipsa co- (2. acqvisi-
 gnoscitur, quippe cujus fons quasi, aut fundamentum est. Et hanc ta.
 verò Cornelius eò innuit, quum naturalem Attici bonitatem perpe-
 tuam cognominat. Quò pertinet, quod Philosoph. lib. cit. c. V. docet,
 Eum demum esse Prudentem, qui bene de bonis utilibusque consu-
 lere novit, ἔκ' ἀμείζων· ἀλλὰ ποῖα πρὸς τὸ εὖ ζῆν ὅλον, hoc est,
 non de quibusdam tantum rebus, & certo quodam temporis statu,
 sed de omnibus, quæcunque ad totam benè honesteque vivendi ra-
 tionem conducant, in prosperis pariter ac adversis rebus. Hoc est
 τὸ εὐσάβες τῆς Φροήσεως, καὶ θαυμαστὴ πρὸς τὰς ἐν τῇ πολιτείᾳ
 μεταβολὰς ἡ εὐσάβεια, quam dicit Plutarch. Hujus ope perspexit
 Atticus, vetere instituto vitæ, effugere nova pericula, cap. VII. §. 3.
 Hæc arte innixus, quum sensim à nonnullis reprehenderetur, quòd
 parum odisse malos cives videretur, ille sui iudicii potius quid se fa-
 cere par esset, intuebatur, quàm quid alii laudaturi forent, c. IX. §. 7.

A 3

TH.



TH. V.

54.
Cujus quidem est
Prudentes
alios consulere,

Etsi enim non alienum est, ut ait *Tullius 1. off. ad eligenda*, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam usu peritos: & quid his de unoquoque genere officii placeat, exquirere. Imprimis verò adolescentis est, ut idem paulò antè, Majores natu vereri, ex hisque eligere optimos & probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. (quæ ipsa de re egregiè commentatur *CL. Bæcler. Comm. ad C. Nep.*) Ex quo fonte etiam vix nobis satis laudandum hujus Academiae profluxisse institutum videtur, quod omnes bonarum artium ingenuos alumnos Aliquo ex Alma Nostræ Patribus, tanquam Privato, quem vocant, Præceptore uti, non minùs seriò, quàm fideliter præcipit.

TH. VI.

maximè
tamen &
sibi seipsam
posse con-
sultere.

Nihilominus idem Cicero cum Euripide ait:

Μισῶ σοφιστῶν, ὅτι οὐκ ἀλλοσοφός.

Atque huc etiam illud Philosophi facit *VI. Nicom.* *XII. & XIII.* negantis, aliquem etiam sine Prudentia actiones virtutis præstare posse, si solùm aliorum facta velit imitari, aut aliorum consiliis obtemperare; sed requiri, ut non tantùm κατὰ τὴν ἑρθεὶν λόγον, hoc est, secundùm rectam rationem alienam; sed etiam μετὰ τὴν ἑρθεὶν λόγον, cum recta ratione propriâ agat; velut *Nicol. de orbell. lib 6 Eth. c. V.* Ὁ δὲ δοξάζει. *V. Muret. ad b. l p. 500.* Hinc tam celebre est illud *Hesiodi Oper. & Dier l. 1. v. 291.*

Οὐτὸς μὲν πάντας ἑσθλῶς πάντα νοήσει,

Εσθλὸς δ' αὖ κακῶν ἑσθλῶς εἰπὼν τιπιθήσει.

Ὅς δέ κε μήθ' αὐτῶν νοέη μήτ' ἄλλ' ἀκέρων

Ἐν θυμῷ Βαλλήσει. Ἐδ' αὖτ' ἀχρηστὸς ἀνέσθ.

Optimus ille sapit, sibi qui benè consulit ipse:

Hinc, qui consiliis sapientum obtemperat: At, qui

Consulere ipse sibi nescit: nec fida monentem

Sedulius attendit, sibi nil, nihil utilis ulli est.

TH. VII.

Et incidunt sæpè tempora, quum fatiùs videtur, secum (quod & Cicero Curioni præcipit) loqui, se adhibere in consilium, se audire, sibi obtemperare. Plurimum autem hinc naturalis illa δυνάμις

va-

55
valet. Hinc Domitiani solertia in bello Vitelliano celebratur Tacito l. 3. Histor. c. LIX. Is enim etsi fugiendi animum haberet, & custodes quoque ipsi à Vitellio additi socios se fugæ promitterent, hos tamen tanquam insidiantes non temerè timuit, consulentesque non audivit. Sedde his satis.

TH. IIX.

Ut autem penitiùs nobis sese pandat isthæc Attici Prudentia, *Ea ipsa por duplicem eam constituamus, secuti Philosophi vestigia l. c. cap. V. & rò est du- VIII. Unam τὴν πρὸς ἑαυτὸν καὶ ἑαυτῶν, quâ Vir Prudens in privatis ac plex. suis rebus sibi ipsi consulit, & de utilibus sibi prospicit: alteram πρὸς ἄλλους, quâ & aliis rectè consulit, & quæ illis sint utilia, prospicit. Hæc communis in Attico uti magna fuit, (ceu notum est vel ex Tullii ad ipsum epistolis, quibus non semel saluberrima Attici consilia recordatur, sed iis ipsis se non paruisse, sæpè ingemiscit, ut l. VIII. Ep. XVI. l. IX. ep. XII. l. IV. Ep. VI. l. VII. Ep. I.) Ita illam priorem, quæ Scholastica privata, Personalis est vel Monastica, imprimis præsens σκέψις sibi vindicat. Quæ sanè si ullâ in re, profectò in certo vitæ genere eligendo & quæ præcipue in eligendo vitæ requiratur illa & judicatur. Enimverò & hîc ἡ δεινότης multum valet, quâ & pueri sæpe non temerè nec absque præfagio veritatis, de aliquo vitæ genere aliquando amplectendo jam tum decernere videntur: Tamen usu & præceptis naturalis illa bonitas εὐσαθὺς ac perpetua redditur. Quæ præcepta quum luculentè admod. à Cicero- ne i. off. doceamur; operæ erit precium, quomodo ea opere ipso ubi attendend.*

TH. IX.

In hac igitur difficillima deliberatione, quâ, quos nos & quales esse velimus, & in quo genere vitæ, constituendum est, ad suam cuiusque naturam consilium esse omne revocandum, censet Tullius. Nam quum in omnibus, inquit, quæ aguntur, ex eo modo, quo quisque natus est, quid deceat, exquirimus, tum in tota vita constituenda multo est rei cura major adhibenda, ut constare in vitæ perpetuitate possimus nobismetipsis, nec in ullo officio claudicare. Ad hanc autem rationem, quoniam maximam vim natura habet: fortuna proximam, utriusque omninò rationem habendam esse in deligendo in genere, genere vitæ; sed naturæ magis. Duabus autem quasi nos à Natura indutos esse personis. Quarum una communis, ex eo, quòd omnes partici- scil. ut re- Etæ rationi tici conveniat:

*tum ad
proprium
cujusq; in-
genium:*

*tum quoq;
ad Fortu-
nã & tem-
pus.*

Applicatio

tipipes sumus rationis, præstantiæq;ve ejus, quã antecellimus bestiis; à qua omne honestum decorumq;ve trahatur, & ex qua ratio officii exquiratur: Altera autem, quæ propriè singulis est attributa. Ut enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt, sic in animis etiam majores varietates, quæ suæ cuiq;ve non vitiosæ illæ quidem, sed tamen propriæ admodum sint tuendæ. Sic igitur, ait, est faciendum, ut contra naturam universam nihil contendamus: eã tamen conservatã propriam naturam sequamur: ut etsi sint alia graviora atq;ve meliora, tamen nos studia nostræ naturæ regulã metiamur. Sed duabus his personis tertiam quoq;ve adjungendam esse præcipit, quam Casus aliquis vel tempus imponit.

TH. X.

Quæ omnia studiosè ab Attico esse observata, est perspicere. Præter id enim, quod non τὸ ἀπολαυστικὸν, aut χρηματιστικὸν, quibus nihil indignius homini, sed τὸ πραγματικὸν amplexus est; Erat is moribus liberis, ut M. Brutus ad ipsum scribens testatur, & naturã πολικὴν, ut Cicero l. IV. Ep. 6 ad Att. ait. Tempora verò, in quæ ætas ejus inciderat, motibus civilibus subinde conturbabantur, inter certamina potentiæ assidua tam ambiguo fortunæ lusu res gerebantur, ut hujus modo fastigium insuperabile, illius videretur irreparabilis ruina, ut CL. Bœcl. verba mea faciam. Hæc secum reputans Pomponius, etiam adolescentulus, XX. quippe & aliquot annorum, quum Cinnano tumultu civitas perturbaretur, neq;ve sibi dari facultatem pro dignitate vivendi videret, idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit, & ita privatum vivendi genus amplexus. quod neq;ve regressus Romam, migravit, nec unquam civilibus fluctibus se commisit. Qui enim ad naturæ suæ non vitiosæ genus, consilium vivendi omne contulerit: is constantiam teneat. Id enim maximè decet, nisi fortè errasse se intellexerit in deligendo, ut præcipit Cicero. At Pomponium in eò non errasse, eventus comprobavit. Imò fuisse Hic Noster videtur ex illo maximè raro genere eorum, quod vocat Cicero, qui aut excellenti ingenii magnitudine, aut præclarâ eruditione atq;ve doctrinâ, aut utraq;ve re ornati, spatium etiam deliberandi habuerunt, quem potissimum vitæ cursum sequi vellent.

TH. XI.

Patitur verò isthæc vivendi ratio & mores liberos severosq;ve
& πο-

57.
& πολυβίβητος. Multi enim, ait toties laudatus *Tullius*, & sunt & fuerunt, qui eam, quam dico tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis se removerunt, ad otiumque profugerunt: in his & nobilissimi Philosophi, longeque principes: & quidam homines severi & graves, nec populi nec Principum mores ferre potuerunt; vixeruntque nonnulli in agris delectati re sua familiari &c. Quamquam hæc non eadem dicta velim, quasi ad otium profugisse Atticum contendam; sed istud volui evictum, hoc privatae vitae institutum & naturæ Attici, & temporum genio maxime convenisse. Est enim certè illud in civilibus motibus non tam vehementibus periculis expositum; imò ipsa etiam libertate sublatà, nullam habet propriam servitutem, communi fruitur nomine, ut de hoc ipso Attico *Cicero* loquitur *lib. IV. ep. VI.*

TH. XII.

Atque hæc admiranda & singularis utique Prudentia, quæ quò in turbidiora incidisset tempora, eò illustriorem sanè fudit splendorem; quamquam principia sua naturæ bonitati debebat: Doctrinà tamen & rerum usu consummata planè est. Atque videtur omninò tunc obtinuisse illa prisca temporis auctoritas, quò (ceu Vir Celeberrimus *Bœclerus* l.c. loquitur dicam an queritur?) ut facere præclara, ita faciendâ discere erat facilius; neque ad vitæ disciplinam, undecim Virtutum vocabula, cum tribus Rerump. descriptionibus, sed morum exquisita intelligentia, civitatisque juvandæ tot artes, quot actuum humanorum ingenia, varietates, sinus, referantur. Cæterum moris tum fuisse, *Alex. ab Alex. l. 2. Gen. D. c. XXV.* docet, ut Parentes bonis exemplis artibusque honestissimis liberos educerent, plerumque apud Patruos, ne nimiam Parentum indulgentiam lascivirent. Cujus rei exemplum vel *Q. Fr. M. Tullii Cic.* præbet, qui Quintum puerum cum Patrueli discere & exerceri voluit, ut patet ex *Ep. 1. 2. 3. l. VI. ad Att.* Quamvis nihilominus & sic vel natura vel Patris indulgentia puerum corruptit, ut Patrus Avunculo sæpe conqueritur, ut *l. X. ep. IV. VI. XII. XIII & l. XI ep. X.* Alii tamen maluerunt ipsi filiorum gerere curam, ut non tantum corporis, sed & animi eò melius valerent bonis. Hinc *Cato Censorius* tam sanctè filium edocuisse fertur, ut non alium quæsierit Magistrum; sed se ipsum, quia Pater erat, filiis exhibuit Præceptorem. Atque nescio an

Modus
comparandi
Prudentiam,
Naturæ:

Institutio.

domestica,

æmulatus hunc fuerit Pater Attici, qui, prout ipse amavit literas, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudit, referente Cornelio.

TH. XIII.

Academi-
ca,

Postea domesticæ disciplinæ Academica successit institutio, & Atheniensium Philosophorum auscultationes. Tum enim Romanis adolescentibus quodammodo necessarium fuisse videtur, Athenas studiorum gratiâ proficisci, ut tradit *H. Steph. App. ad Dicaarch. p. 87.* Atque hinc Atticum principum Philosophorum ita percepisse præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur, testis est *Nepos c. XVII.* Ubi sanè non frustra ostentationis meminit; sed ipsorum Docentium mores leviter perstringit. Hoc enim est, quod idem *Nepos* (referente *Lact. l. 3. Inst. c. XV.*) ad Ciceronem scripsit: Tantum abest, ut ego magistrum esse putem vitæ Philosophiam, beatæque vitæ perfectricem; ut nullis magis existimeni opus esse magistris vivendi, quàm plerisque, qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore, & continentia præcipiant argutissimè, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. Sed & *Tullius* pariter queritur *l. 2. Tusc. Q. f. 177.* Quotusquisque Philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vitâ constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? &c. Pluribus hac de re *Lactant. l. c. Cicero l. 2. de Fin. f. 81. Garzon. Piazz. l. 2. p. 255.* Cæterùm in eo quidem *Nepos* injuriam facit Philosophiæ, quòd errata & vitiosos Philosophorum mores ipsi impingit, quo de pluribus *Horn. l. 2. Doct. Civ. c. 2.*

TH. XIV.

Epicuri se-
ctæ an ad-
dictus?

Epicuri verò imprimis sectæ addictum Atticum nonnulli volunt. Omnium instar sit *Muretus* in *l. 1. Cic. de Fin. p. 275.* Et certè *l. 5. de Fin.* patet, quòd Atticum ut Epicuro deditum insectati fuerint Amici; ipseque *Phædrum* in Epicuri hortis unicè à se diligi dicere fingitur. Quò fortè & illud referam, quum *Cicero l. VII. ad Att. ep. 2.* quasi gratulabundus Attico, videtur, quod sententiâ Epicureorum relicta, probet σοφὴν φουσιώδη esse τὴν ἀεὶ τὰ τέκνα, id quod illi negabant, docente *Mureto* in *VIII. Nicom. p. 516.* Verùm enim verò forsitan τῶν ἐκλεγκτῶν potius fuerit Noster, quàm certæ sectæ totus man-

82
mancipatus. Quod si omninò fuisset Epicureus, ex eorum tamen
censeretur numero, qui naturæ bonitate victi, ea fecerunt, è quibus
appareat, non voluptatem eos secutos, sed officium, ut cum Cicero-
ne loquar, 1. off. Imò & ipse Epicurus, inquit idem l. 2. de Fin. bonus
Vir fuit, & multi Epicurei fuerunt, & hodie sunt, & in amicitis fide-
les, & in omni vita constantes, & graves, nec voluptate, sed officio
consilia moderantes. Quamquam nec dum de doctrina Epicuri pu-
gna depugnata est. Sed de his parùm sollicitus, ad reliqua pergo.
Huic igitur tam fideli reque pariter ac nomine Paternæ disciplinæ, &
præclaris deinde Philosophorum præceptis, tandem ipse medita-
mentoribus usus consuetudoque ultimam quasi manum imposuit,
atque eò magis, quum jam ab ineunte ætate variis procellis civilibus
hinc inde jactatus Noster exercitusque fuerit. Verissimum enim
Philosophi effatum, VI. Nicom. IX. ἐτι καὶ τῶν καθ' ἑκάστα ἐστὶν ἡ
φρόνησις, ἀ γίνεσθαι γνῶριμα ἐξ ἐμπειρίας. πλὴθὺς δὲ χρῆναι ποιῆ-
σαι τὴν ἐμπειρίαν. Sed instituti ratio vel invitum ad reliqua propere
rare cogit.

Usus & Ex-
perientia

TH. XV.

Deinceps igitur omnis de moribus futura Disputatio est, qui-
bus quantum Atticus honestatem secutus adsecutusve fuerit na-
turâ duce, videndum. Quamquam non placet hîc omnia cum pulvis-
culo, quod dicitur, congerere, sed præcipua duntaxat Virtutum ca-
pita officiaque considerare. Porro quoniam nihil honestum esse
potest, ut præclare monet Tullius, quod Justitiâ vacat; nullumque
omninò tempus eadem vacare debet, non abs re ab hac potissimum
initia ducantur.

II. Actio-
nes ipsæ
quarum
alia

1. Justitia,

TH. XVI.

Sed Justitiæ primum munus est, inquit Cicero, ut ne cui quis
noceat, nisi laceffitus injuriâ. Intelligenda verò hîc non universalis
illa, quâ omnibus in universum legibus obtemperatur, neque reâ
virtute differt; sed Particularis, quæ suum cuique tribuere docet,
seu, ut Communi Germaniæ Præceptori Melancthb. in Comment. in
b. l. placet loqui, servare æqualitatem in non lædendis iis, à quibus
non sumus læsi, item in contractibus & in ordine personarum. Quæ
porro exceptio subjicitur à Cicero de vindicandis injuriis, de ea
accuratè differit Muret, ad b. l. p. 230. & concludit tandem: Virum

cujus pri-
mum mu-
nus: Nemi-
ni nocere.

58.

bonum nunquam quidquam facere debere, ne laceffitum quidem, ut
noceat alteri: posse tamen factam sibi injuriam interdum sine vitio
ulcisci. At noster verò Atticus neque lædebat quemquam, neque si
quam injuriam acceperat, malebat oblivisci, quam ulcisci, *Nepos*
cap. XI. Sunt enim quædam officia, inquit Cicero, etiam adversus
eos servanda, à quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi &
puniendi modus: atque haud scio, an satis sit eum, qui lacefferit, in-
juriam suam poenitere: ut & ipse ne quid tale posthac committat, & cæ-
teri sint ad injuriam tardiores. Atque hinc præter Justitiam & Man-
suetudo Attici apparet. Neque verò existimandum est, eum tam me-
tu, aut pusillanimitate, aut efferâ quâdam animi excelitate, quam
Virtutis ac Honestatis amore condonasse injurias.

TH. XVII.

Sed ad hunc etiam locum referendum illud esse videtur, quòd,
interfecto à Sylla P. Sulpicio, Adfine, posteaquam vidit Cinnano tu-
multu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro
dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis a-
nimis civium, Athenas se contulit, *cap. 2. conf. Sc. IV. & VI.* Hoste
verò Antonio judicato, quum is Italiâ, absque spe restituendi ulla,
cesserat, atque inimici ejus pariter ac amici in eo lædendo se aliquam
consecuturos sperarent commoditatem, inter quos non obscure Ci-
ceronem Brutumque Nepos numerat, his Atticus non modò nihil
indulgit ad Antonium violandum, sed è contrario ejus familiares
textit & adjuvit. P. verò Volumnio, Præfecto Fabrûm Antonii, ea tri-
buit, ut plura à Parente proficisci non potuerint: ipsi autem uxori
Fulviæ sponsor omnium rerum fuit, pecuniam sine fœnore credidit,
c. IX. Adeò ut, quum Injustitiæ duo genera sint, secundum Tullium,
unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infer-
tur, si possint, non propulsant injuriam; Atticus videri possit neque
in prius incidisse, quum aut metu aut commoditatis alicujus spe po-
tuisset; neque in posterius, quum nec laborem, nec reprehensionem,
nec sumtûs suscipere nolisset.

TH. XVIII.

nisi quòd
suis se ante
diem mori
fecit.

Atque hætenus primum Justitiæ munus curatè administravit
Atticus. At verò in eo facto certè illum Philosophus, credo non ab-
solverit ab injustitiæ crimine, quòd, quum id quod natura cogit, ipse
quo-



59.
quoque sibi acceleravit, nec quoniam tum quoque; potuisset temporibus superesse, se sibi, suisque ac civitati reservavit, cap. ult. Ist hoc quippe patrans, ἀδικεῖ ἀργ., V. Nicom. XV. sive jam τρεῖ πόλις, ἀυτὸν δ' ἴ. uti Aristot. ibidem contra Platon, ut videtur, contendit; sive, sibi quoque ipsi injuriam eò fecerit, ut video placere Melanchthoni Enarr. l.V. Nicom. p. 211. eò quòd homo non sit corporis sui dominus, sed DEUS & lex superior. Unde & vulgò dici: Neminem esse dominum membrorum suorum. Et B. Gerhard Loc. Th. T. III. de Legge DEI, §. 155. inter alia: Quemadmodum, inquit, non sumus Domini vitæ alienæ, ita nec potestatem accepimus nostræ, ut in eam prohibitu injurii, ejusdemque prodigi simus. Sed & quum in omni Injustitia, ut docet Tullius, permultum interfit, utrum perturbatione, aliqvâ animi, quæ plerumque brevis est, & ad tempus, an consultò & cogitatò fiat injuriâ: quippe quum leviora sint ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata & præparata inferuntur; Eò magis Atticus hîc in vitio esse censendus est, quòd pertinacius consilium suum probari nitebatur.

TH. XIX.

Ac de primo quidem Justitiæ munere satis. De tribus autem reliquis brevior erit sermo. Secundò igitur loco præcipitur Justo, ut communibus pro communibus utatur, privatis autem ut suis; neque plus appetat, sed, quod obtigerit, teneat. Deinde, ut communes utilitates in medium afferat mutatione officiorum, dando accipiendoque; tum artibus, tum operâ, tum facultatibus devinciat hominum inter homines societatem. In hoc verò Atticus egregiè ducem suam secutus est, qui sæpe suis opibus inopiam Atheniensium publicam levavit c. 2. atque ita ut neque usuram unquam ab iis acceperit, neque longiùs, quàm dictum esset, eos debere passus sit. Quod utrumque iis erat salutare &c. inquit Nepos. Fulviæ verò Antonii & pecuniam, & sine fœnore, & sine ulla stipulatione credidit, c. IX. Stipulatio enim hîc intelligi videtur, quâ non tantùm de recuperandâ pecuniâ cavebatur, ut quod mutuo tacitè inest, sed quâ de certo & determinato tempore redditionis caveretur, ultra quod debere creditor debitorum non pateretur. Hoc videtur esse, quod c. 2. §. 4. dicitur Atticus non fuisse passus Athenienses longiùs, quàm dictum esset, debere. Caterùm quantum exosa fuerit Romanis usura, discere est velè

Alterū &
Tertium :
Non plus
appetere ;
sed cōmunes utilitates in medium conferre.

60.

Catonis verbis de Re Rust. Majores, inqvientis, nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt; furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli. Quantò pejorem civem existimârunt foeneratorem, quàm furem hinc licet existimare: Proinde *L. Genucius Trib. Pl.* legem tulit ad Populum, ne foenerari liceret. Plura tamen de hisce apud *Tacit. l. 5. Annal. Sigon. de J. C. R. c. 2. p. 94. Garzon. l. 2. Piazz. Univ. Disc. X. p. 233. Alex. ab Alex. l. 1. Gen. D. c. VII.* Atticus verò etiam à non illicito sese abstinens, potiùs quid se facere par esset, intuebatur, quàm quid alii facturi forent.

TH XX.

*Quartū :
servare si-
dem.*

Ultimum Justitiæ officium est fidem servare. Fundamentum enim illius est fides h. e. dictorum, conventorumqve constantia & veritas. Hoc quantum observârit Pomponius, *c. XV.* indicio est, quod quicquid rogaretur, religiosè promittebat, quod non liberalis, sed levis arbitrabatur polliceri, quæ præstare non posset. Idem in nitendo, quod semel admisisset, tantâ erat curâ, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negotii eum pertæsum est. Atque de iis officiis, quæ ex Justitia, in qua Virtutis splendor est maximus, ex qua boni Viri nominantur, teste Tullio, manant, satis fortè dictum est. Nunc de huic conjuncta Liberalitate.

TH XXI.

*II. Libera-
litas, ubi
attenden-
dus benefi-
ciorum fi-
nis;
qualitas in
dando,
innoxie,*

bilar. iter

Quâ quidem quum nihil sit naturæ hominis accommodatius, huic maximè operam dare voluisse, videtur Atticus. Atque id non aliam ob causam, quàm τὸ καλῶς ἕνεκα, non aut ostentationis gratiâ, aut quòd se aliquam consecuturum speraret commoditatem; quia maximum existimavit quæstum, memorem, gratumqve cognosci, *c. IX. Τοῦ γὰρ μὴ ἑλέπην ἐφ' ἑαυτὸν, ἐλθεῖν Ἰερὸν, 4. Nicom. I.* Porro videndum esse primùm, monet Tullius, ne obsit benignitas & his ipsis, quibus benignè videbitur fieri, & cæteris. Quò pertinere obsequia pravorum sodalitorum, Cracovius ad h. l. notat, quæ tametsi, Liberalitatis ac beneficentiæ speciem quandam habeant, tamen reverà corruptelas esse. Sapienter itaque Noster officia Amicis præstanda sine factione existimabat, *c. VIII.* Quo ipso etiam in loco quando Bruto, si quid de suis facultatibus uti vellet, permisisse legitur, ut uteretur ille, quantum eæ paterentur; partim τὸ ἡδὺ καὶ ἀλυπον signifi.



significatur, partim cautio Atticī, ne benignitas major sit, quā fa- *moderate,*
cultates. Unde & quum non parū liberaliter domum suam o- *62*
mnium ordinum homines invitaret, testatur Nepos, non ampliū,
quaterna millia æris, peræquē in singulos menses, ex ephemeride
eum expensum sumtui ferri solitum, c. XIII.

TH. XXII.

Sed neque minus liberaliter ἐν τῇ λήψει se gessit, satisque ap- *in accipi-*
paret magis eum πρὸς ἐλευθέρων, quā ληπτῶν fuisse. Neque tamen ex *endo.*
turpi quæstu partis, aut de alienis fuit liberalis, sed ἀπὸ τῶν ἰδίων κη-
μαίων, quæ partim bonitate suâ, ut loquitur Nepos. c. XXI. partim
frugalitate & continentia comparavit. Hæc liberalitate utens ne- *Persona,*
que temporaria neque callidâ, non aut τοῖς τυχεῖσιν opes profudit, *Tempus.*
aut fortunæ potiùs, quā hominibus fuit amicus, non florentibus
se venditans, sed afflictis semper succurrens, id quod illustre fit tum
Atheniensis Reip. exemplo c. 2. tum Amicorum ad Pompejum pro-
ficiscentium c. VII. Fulviæ item c. IX. Proscriptorum à Triumviris
c. XI. Etenim in collocando beneficio, inquit Tullius, & in referen-
da gratiâ, si cætera paria sunt, hoc maximè officii est, ut quisque ma-
ximè opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Quod quò magis
contra fit à plerisque, quum, à quo plurimum sperant, etiamsi ille
his non eget, tamen ei potissimum inserviunt; eò illustrior redditur
Pomponii Virtus hæc.

TH. XXIII.

Cui quoniam admodum vicina est illa, quæ officiositatem *III. Officio-*
nuncupamus, Cicero verò sub Liberalitatis appellatione complexus *sitatis, in*
est; itaque non abs re hæc jungantur sorores. *Cracovius in off. Cic.*
Beneficentiam propriè illam appellari docet, esseque eam Virtutem, *qua*
quæ gratis præstat officia Humanitatis, quæ non jure Civili, sed na-
turali debentur. Quæ etiam ratione *Melanchth. Comm. in Ead.*
discrimen inter officia & contractus tradit, quòd officii nomen com-
munius sit, esseque omne opus œconomicum & Politicum debitum
obligatione naturali, ut officia Parentum erga sobolem, Docentium
erga Cives non debita obligatione Civili: In contractu autem alte-
ram personam obligatam esse, non solum divinâ & naturali obliga-
tione, sed etiam civili, ad mutuam compensationem, &c. Nimirum
officiosus erat Atticus Atheniensibus mutuò dans sine fœnore, neque
enim

enim ad hoc civili lege adstringebatur; sed reddentes mutuum illi, non item; quia ad hoc de civili obligatione & quæ intercesserat, stipulatione, tenebantur.

TH. XXIV.

*eadē pro-
pmodum
observ. quæ
in Libera-
litate,*

Porro ex illo sororio nexu fluit & communis præceptorum ratio, quæ inter duas hæc Virtutes deprehenditur, quo ex capite & Philosophus speciatim de hac Virtute supersedisse agere creditur Eruditis. Hinc facile intelligitur, quod qualem se Pompejus in erogandis opibus præbuit, talem etiam in præstandis officiis fuisse. Quare, quum ut jam dictum, Athenis agens inopiam eorum publicam levavit gratis, c. 2. Romæ tamen nihilominus Amicis urbana præstitit officia, c. 4. quod clarum etiam fit ex Ep. IX. & IV. l. 1. ad Act. Postea Antonii familiares undique oppressos & vexatos protexit, c. IX. Cæsaris gratiâ, nullâ in re usus, nisi in deprecandis Amicorum aut periculis aut incommodis, ut perillustre fit ex c. XII. multorum negotia procuravit c. XV. Nonnullarum Familiarum historias obsequiosus conscripsit c. XVIII. nihil potest intelligi, quo aut Honestatem semper non secutus sit, aut rerum ac personarum rationem minus habuerit. Istud enim quod sensim à nonnullis optimatibus reprehensus est, quod parum odisse malos cives videretur, cap. IX. ut leve iudicium merito non curavit. Is enim benevolentiam non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed statilitate potius & constantiâ iudicavit: quæ tamen ipsa inter Reip. utilitates religiosè stetit. Utinam ab fatali isto opere minus certè officioso, tantam mereri possit excusationem, quam vivum suis se reservare, & solitâ hæctenus consiliorum felicitate prodesse insolitâ quâdam obstinatione aut morositate non sustinuit, cap. ult.

*IV. Grati-
tudinis.*

TH. XXV.

Sed quum duo genera Liberalitatis sint (liceat pace Peripati paulū cum Tullio loqui, qui & Socraticus & Platonicus esse voluit) unum dandi beneficii, alterum reddendi: & de priori hæctenus; posterius non planè negligendum erit. Atticum itaque refert Nepos c. XI. immortalī memoriâ præcepta retinuisse beneficia: quæ autem ipse tribuisset, quoad ille gratus esset, qui accepisset. Ex quibus patet, non tantum ipsum Atticum beneficia tribuisse tam *gratos*, tamque sine exprobratione ullâ, ut, quod si contigisset, ut minus grato memori-

63.
moriq̄ve commodāffet, ille quidquid à se collatum, maluit ignorare,
quàm exprobrare: Verùm etiam τῶν ἀλλοθελίων ἐφιέναι καὶ βέλεσθαι
λαμβάνειν (cujus quippe oppositum in vitio ponit *Philosoph. 4. Nic.*
I.) atq; sic aliorum beneficia non fugientem, immortalī eadem re-
tinuisse memoriā. Sed enim, quum demus, necne, in nostra po-
testate sit, ut ait Tullius; non reddere, bono viro non liceat, modò
id facere possit sine injuria: Intelligendum est, non otiosam Attici
fuisse memoriā, sed imitatum eum potiùs agros fertiles, ut iterum
Tullii verba mea faciam, qui multò plus afferunt, quàm acceperunt?
Etenim si in eos, quos nec speravit sibi profuturos, non dubitavit of-
ficia conferre: qualem in eos esse oportuit, qui jam profuerunt?

TH, XXVI.

At ubi illius, quod præclare ait Cicero, memini: *V. Amici-*
omnis Virtus nos ad se allicit, facitq̄ve, ut nos diligamus, in quibus *tia.*
ipsa inesse videatur: tamen Justitia & Liberalitas id maximè efficit.
moneri mihi videor, ut deinceps, quem sese Amicum suis præsti-
terit Atticus, dispiciam. Sed duplex Amicitia constitui solet, altera
ἐν ἰσότητι, quæ inter æquales dignitate, conditione aliisq; bonis con-
trahitur: altera ἐν ὑπεροχῇ, & hæc inter eos locum habet; quorum
alter dignitate, ætate, vitæ conditione, aut aliis antecellit rebus. Ad *Inæqualis,*
hoc genus referatur, quam Atticus cum Avunculo coluit, amicitia, *cum Avun-*
culo,
cap. V. Is quum esset difficillima natura, ejus sic asperitatem Atticus
veritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad sum-
mā senectutem retinuerit benevolentiam. Tribuit ipsi videlicet Atti-
cus id, quod κατ' ἀξίαν debebatur, observationem & obsequium: at-
que quò justa fieret ἀναλογία, tantum bonitatis in Attici natura ac
moribus inerat, quantum difficultatis (ut ita loquar) Cæcili natu-
ræ. Sic se gerendo Atticus exclusit omnes querelas. Cum matre ve- *matre,*
rò ita vixit, (Pater maturè decesserat c. 2.) ut nunquam cum ea in-
gratiam redierit, c. XVIII.

TH, XXVII.

Sed ibi naturalis εὐεργη plurimum præstitisse videri posset:
Ab iis verò, quæ sequuntur, illa exulat. Eam intelligo, quæ inter i-
psum & Syllam intercessit Athenis c. IV. Hic enim adolescentis *Sylla,*
Attici & humanitate & doctrinā captus ita fuit, ut nusquam eum à
se dimitteret, cuperetq̄ve secum deducere. At hinc perillustre Comi-
tatis

69.

tatis exemplum Noster dedit. Quum enim jam tam arcta inter-
cessisse videretur copula inter ipsum & Syllam, ut persuadenti huic
cupientique secum Romam adversus Marium deducere, vix videre-
tur hoc postulatum denegare posse; ille tamen, quum antea, ne Syl-
lam offenderet, sed oblectaret potius, omnem dedisset operam; jam
autem videret, non posse honestè & utiliter Syllæ dicta approbare,
non veritus est, eum de hoc amicè modestèque monere; neque hac
in parte ejus offensionem, si qua secutura fuisset, nimium metuit,
id quod Viri Comis officium præcipitur *IV. Nicom. VI.*

TH. XXIIIX.

Bruto,

Quemadmodum autem adolescens Pomponius seni Syllæ fuit
jucundissimus, ita idem senex adolescenti M. Bruto, ut nullo hic æ-
quali familiaris usus fuerit, quàm illo sene; neque solum eum prin-
cipem consilii haberet, sed etiam in convictu, ut ait Cornelius *c. IIX.*
Cæterum valdè conspicuum & hinc edidit Atticus officium, qui, quum
amicitiæ officia justo laxius interpretaretur Brutus, distinxit ipse si-
dem à factione, ut iterum cum CL. Boeclero loquar, significans, offi-
cia amicitiae non extendi ad societatem rerum novarum, factionum
&c. uti idem Vir laudatus intelligendum id esse docuit. Atque huc
illud Tullii ad Atticum Nostrum in Lælio: Prima lex in amicitia
sanciat, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati.

TH. XXIX.

*Octavio &
Antonio.*

Ex illis verò amicitis, quas cum Octavio, itemque cum hujus
tum temporis æmulo, Antonio habuit, quantum Sapientiae, quan-
tumque Virtutis elucet! Eorum retinuit usum, inquit Nepos, benevo-
lentiamque; inter quos maximarum rerum non solum æmulatio, sed
obrectatio tanta intercedebat &c. *c. XX.* Quod uti longè fuit difficil-
limum, ita nullâ re aliâ est consecutus, quàm quod accuratè perspe-
xit, πῶς δίκαιον, ut ait Philosophus *VIII. Nicom. XII.* h. e. quid quan-
tumque cuique debeatur Amico: quâ re cuique καὶ ἀξίαν καὶ ἀναλογίαν
tribuit, ut neuter jure conqueri habuerit.

TH. XXX.

*Æqualis
cum Cice-
rone &
Hortensio.*

Magnum hoc opus fuit. Sed nescio an splendidius illud, quod
inter duos non potentiae, sed Eloquentiae æmulos, Ciceronem in-
quam & Hortensium, ita vixerit, ut intelligi non potuerit, uter eum,
plus dilexerit; & quod fuit difficillimum, effecerit, ut inter quos tan-
tae lau-



62.
tae laudis esset æmulatio, nulla intercesserit obrectatio, fueritque
talium virorum copula, c. V. Ciceroni porrò jam inde à condiscipu-
latu fuit conjunctissimus, ut nemo illi perpetuò fuerit carior, mul-
toque familiaris cum Attico vixerit Tullius, quam cum Quinto Fr.
ut judicari possit, inquit Nepos c. V. plus in amicitia valere similitu-
dinem morum, quam affinitatem. Nihil enim, dicente Tullio, ama-
bilis, nec copulatus, quam morum similitudo bonorum. In quibus
enim eadem studia, eademque voluntates; in his fit, ut æquè quisque
altero delectetur, ac seipso: efficiturque id, quod Pythagoras
vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Contra ea dispares mores,
disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias.
Igitur quum nihil sit appetentius similitum sui, nihil capacius, quam
Natura; hæc verò non rarò diversissima accidat, & iis qui eundem
aliàs δεχνηδὸν sui generis obtinent; hinc fit, ut sæpe benevolentia,
amicitiæ fons, ex propinquitate tollatur, ex amicitia verò nunquam.
Quòd verò Tullius minùs familiariter dicitur cum fratre vixisse,
illi lucem fœnerantur diversæ ad Atticum epistolæ, ut l. XI. ep. XII.
XIII. XV. l. XII. ep. V. ex quibus non obscurum est, quid sive odii, si-
ve obrectationis inter fratres hos aliquando intercesserit. Repetit
hæc eadem Nepos c. XVI. Eum, inquit, præcipuè dilexit Cicero, ut
ne Frater quidem ei Q. carior fuerit, aut familiarior.

TH. XXXI.

Sed quia natura mutari non potest, idcirco veræ amicitia sem-
piternæ sunt, ait Tull. in Lal. Hujus stabilitatis igitur firmamentum
fides est. Et qui utraque in re gravem, constantem, stabilem se in a-
micitia præstiterit, hunc ex maximè raro hominum genere judica-
re debemus, & pænè divino, ut idem ait. E quo certè Atticus censen-
dus fuit Q. Gellio Canio, æquali simillimoque sui. Quem quum pue-
rum in ludo cognovisset, adeò conjunctè cum eo vixit, ut ad extre-
mam ætatem amicitia eorum creverit. Post Mutinense verò præ-
lium, quum ab Antonio Triumviro redeunte Romam Atticus ma-
gno præscriptionis metu, propter intimam familiaritatem Cicero-
ronis & Bruti, liberaretur; hic tamen non sibi tantum, sed & ei,
quem carissimum habebat, præsidio esse voluit, effecitque, ut unà

Gellio Ca-
nio.

2.

Sorore.

secum & Gellius Canius de præscriptorum numero eximeretur. Neque enim suæ solùm, inquit Nepos, à quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim: ut appareret nullam se junctam sibi ab eo (Amico) velle esse fortunam. Atque sic etiam vidimus, quomodo cum æqualibus suis vixerit Atticus (quanquam non omnia persequor, addi potuisset vel ex c. XVII. nunquam eum eum sorore fuisse in similitate, quam propè æqualem habuit) ut verè à Nepote dictum videatur, Difficile esse judicari, cui ætati fuerit aptissimus.

Th. XXXII.

VI. Veritatis.

Ad splendidissimum Virtutis genus, quod animum magnum, elatumque, humanasque res despicientem reddit, quodque ultimo reservatum loco est, festino: Modò prius non nihil de Veritatis studio, atque eâ, quam Temperantiæ aut frugalitati impendit Atticus operam, dictum fuerit. Illius igitur in Attico studium ostendit Nepos cap. XV. Mendacium, inquit, neque dicebat, neque pati poterat. Porro, ut hæc *ὡς ἐν παρτίδω*, non videtur Nepos hinc anxie observare voluisse, illam, quam Nigidius apud Agell. l. XI. c. XI. tradit differentiam inter Dicere mendacium & Mentiri. Omnis certè, quicumque ore aut verbis mendax est, mendacium dicat necesse est. Ex quo constare potest, mendacium dicere in se spectatum, ut generalius, includere Mentiri. Propterea tamen non denegandum hoc Nigidio, posse deinde specialiori significato de eo duntaxat usurpari, qui ignorans dicit mendacium, quod fortè imprudentiæ est. Sed hoc *ζευματικώτερον*. Illud verò quod mentitus nec ipse sit, nec alios mentientes Pomponius ferre potuerit, non ita videtur intelligi, ac si omne mendacium illicitum & illaudabile sit, quum multis laudi ductum legatur, prudenter dissimulasse: sed istud genus, quod cum intentione fallendi, nocendi que studio conficitur. Quanquam hoc ipsum demum *κρυψίας* & jure Mendacii nomen sibi vindicet: quum reliquis præter meritum aut culpam idem imponatur.

Th. XXXIII.

Temperantia autem Attici, si de hac etiam aliquid dicendum, fanè nemini potest esse obscura, neque operosâ indiget illustratione, quæ per se satis elucet. A Græcis σωφροσύνη dictam esse, ὡς σωφροσύνη τῶν φρονήτων, quod iudicium de rebus agendis conservet, docet *Philos. VI. Nic. V.* Hòc verò quum satis polluisse Atticum appareat, & illà eum præpolluisse, esset probabile. Sed illud, quod VII. & LXX. annos complèrit, atque tantâ prosperitate usus valetudinis, ut annos XXX. medicinâ non indiguisset, cui acceptum referendum, nisi ejus Temperantiæ? Quâ ipsâ fretus Cicero *l. VI. ad Att. IX.* quum hic Noster in febrim incidisset, confidit eum jamjam reconvalescere. Quamquam de eo, quod per annos XXX. non indiguisset dicitur medicinâ, fortè quis dubitet, quum semel atque iterum de imbecillitate Attici sui queratur Tullius in ad eum Epistolis, imprimis *lib. VI.* quem integrum quasi *A. U. C. DCCIII.* sub initiis belli Cæsariani, scriptum constat, h. e. XXII. Annis ante Attici interitum. Cui accedunt aliæ etiam seriùs scriptæ epistolæ, ut *l. VII. 2. l. X. XII. & XVII.* Sed enim Nepos ita fortè intelligi se vult, Atticum intra XXX. annos nunquam tam acuto decubuisse morbo, ut singulari Medicorum operâ eum uti oportuerit. Et ἰσορροπία hoc σκῆμμα potiùs.

VII. Temperantia.

69

Ultimo igitur ad eam, quam principem locat Aristoteles, Virtutem, de labor, quæque sola primitus Generis nomen obtinuit, Fortitudinem, Constantiamque in rebus gerendis. Neque est, quod dubitetur, in hominem, nullam personam publicam sustentem, cadere hanc posse. Esto enim Virtus sagata præcipua Fortitudinis species: nec suo tamen titulo Togata & Domestica Virtus defraudanda est. Nulla, inquit alicubi Magnus Melanchthon, quamvis humilis vocatio est sine periculis. In his ergò ad eundis μεσότης certè requiritur, & animi quædam fiducia. Constituitur itaque cum Tullio duplex Fortitudo, Privata altera, altera Publica; illam homines ut nullis muneribus insignes, Vitâ domesticâ exercent, despicientes simul res, quæ à vulgo magni sunt, ut Honores, opes, voluptates &c. quæque contingunt mala & adversa, constanter perferunt. Publica verò ob Religionis ac Reipublicæ salutem

VIII. Fortitudinis, & quidem



68.

tem adit pericula: Quumque hoc tum Domi, tum militiae quoque fiat, hinc enascitur gemina iterum Fortitudo, Togata una, altera Bellica sive Castrensis, de qua quidem praecipue Aristotelem egisse, fatetur Magirus in 3. Nicom. 5 p. 254.

TH. XXXV.

Private,

Eorum porro, qui magni animi, fortesque fuerint, etiam in otiosa, (ut videri potest) vita, duo quasi genera Cicero constituit: Quorum uno Philosophi coercentur, qui quum aut investigarent, aut conarentur magna quaedam, seseque suarum rerum finibus continerent, longius a civili rerum societate abierunt. Hos itaque inter & eos, qui Remp. administrant, alterum illud genus quasi medium interjectum est, qui delectantur re sua familiari: non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab ejus usu suos, potiusque & Amicis impartientes, & Reip. si quando usus est. Quae quidem ipsa ubi scripsit Tullius, mirum, nisi Atticum ideae instar in animo contemplatus fuerit. Usque adeo conveniunt illius dicta hujus vitae. Sed audiamus porro praecipientem: Quae (Res publica Famil.) primum bene parta sit, nullo neque turpi quaestu, neque odioso, tum quamplurimis, modo dignis, se utilem praebet. Deinde augeatur ratione, diligentia, parsimonia: nec libidini potius, luxuriaeque, quam liberalitati & beneficentiae pateat. Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter, animoseque vivere: atque etiam simpliciter, fideliter, vitaeque hominum amice. Haec Tullius.

TH. XXXVI.

Dubitemus vero adhuc, Attici opes aut non bene partas fuisse? quas paene nullam aliam re, quam bonitate est consecutus, c. XXI. Aut turpi quaestu forte, odiosove auctas? cujus omnis pecuniae reditus constabat in Epiroticis & Urbanis possessionibus. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agriculturam melius, nil uberius, nil dulcius, nil homine libero dignius, ait Cicero. Sed & qui ratione metiri solitus est usum pecuniae, non magnitudine, c. XIV. quae ab injustitia raro abest: Ac potius diligentiae, quam pretio suas sibi res paravit, c. XIII. Aut libidini potius & beneficentiae? quem constat splendidum, non sumtuosum, elegantem non magnificum, omni diligentiam munditiam non affluentem affectasse; nec pa.

89
nec parùm liberaliter domum suam omnium ordinum homines in-
vitasse *c. XIII.* neque tamen nisi eos, quorum mores à suis (h. e. bo-
nit) non abhorrent *c. XIV.* Qui nihil aliud egit, quàm ut pluri-
mis, quibus rebus posset, esset auxilio, *c. XI.* Hæc itaque præscri-
pta tam præclarè servantem Atticum quidni licuerit magnificè,
graviter, animoseque vivere? nec minùs enim idem simpliciter et-
iam & fideliter, vitæque hominum amicè satis vixit.

TH. XXXVII.

Sed enim quum graviter moneat Cicero, ijs, qui habeant à
natura adjumenta rerum gerendarum, abjectà omni cunctatione
adipiscendos esse Magistratùs, & gerendam Remp. esse: ideò dispi-
ciendum est, quam omninò Atticus causam habuerit, quò minùs
se ad Remp. & ad res magnas gerendas accommodàrit. Et his qui-
dem forsitan concedendum esse arbitratur idem Tullius, qui aut
excellenti ingenio sunt, aut ita gravi & severo, ut nec Populi nec
Principum mores ferre possint, otio doctrinæque sese ut dedant:
Sed & iis, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliquâ graviore cau-
sâ impedirentur. Etsi autem jam tum in puero Pomponio & ma-
gna ingenii docilitas, & moribus etiam ipse gravibus liberisque fu-
it, tamen neque omnis ejus vita in otio ac rerum cognitione versata
est; neq; ejus gravitas sine facilitate, aut severitas, absq; comitate fu-
it. Imbecillitas verò valetudinis nihil magis eum absterruit.

TH. XXXIIX.

Alia itaque aliqua causa gravior fuit, quòd Honores non pe-
tiit Atticus, quum ei paterent vel propter gratiam, vel dignitatem.
Nimirum, quòd neque peti more majorum, neque capi possent
conservatis legibus in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri
è Rep. sine periculo, corruptis civitatis moribus, ut testatur Nepos.
Perceptum sanè Pomponius habuerat Epicuri dogma, *ἀπέχεσθαι*
neque tamen ille sine justa causa maximeque honesta à Rep. absti-
nuisse videri voluit. Tum verò Dignitates ac Magistratus vitandi
præcipiuntur, quando cum honestate & justitia teneri non possunt,
Cracov. l. c. Jam tum temporis eò deventum erat, ut non more ma-
jorum Honores ambirentur, sed aut vi, aut aliis modis minùs hone-
stis Attico visis, raperentur. Qua de re pluribus Alex. ab Alex. *l. 3.*
Gen. D. c. XVII. de quo paucula transferam liceat. Scilicet in dan-
dis Ma-

*Cujus reò
ratio red-
ditur à
Nep.*

*Fuga am-
bitionis,*

dis Magistratibus & conferendis honoribus, prisci Romani non largitione & ambitu, sed verâ virtute nitebantur: propterque res egregiè gestas domi militiaeque meritos cives Præturâ, Ædilitate & Consulatu, amplissimisque honoribus honestabant. Postea usque adeo mores degenerarunt, itaque ambitio hominum pervasit mentes, ut sine discrimine nullo pudore aut modestiâ in assequendis honoribus propalâ largitiones fierent. Et quantumvis effrenatæ libidini obviam ire spissis legum ac poenarum minis laborarent, immodicas tamen suffragiorum corruptiones planè tollere non valuerunt.

T H. XXXIX.

Periculi.

Sed enim, ergone nemo tum temporis non peccavit, qui honores cepit, qui Reip. operam navavit? Ergone & M. Tullius, cujus immortalia in Patriam hæc viâ exstiterunt merita, hîc erit in vitio? Enimverò satiùs fuerat, Philosopho præsertim, censet Fr. Petrarca in sua ad M. T. Cic. lamentatoriâ, in tranquillo rure senuisse, de perpetua illa (quam vocat ipse Tullius *l. X. ad Att. VII.*) non de hac tam exigua vita cogitantem, nullos habuisse fasces, nullis triumphis inhiâsse, nullos nosse, nec inflâsse ipsi animos Catilinas. Verùm neutiquam omnes vel tum quoque ambitûs reos esse faciendos vel ille P. Galba aperit, quem prensâsse sine fuco, & fallaciis, more majorum Cicero *l. ad Att. I.* testatur. Poterat ergo forsan & Atticus sic prensare? Accedit jam igitur alterum rationis pondus, quod neque geri etiam Honores è Rep. sine periculo possent, corruptis Civitatis moribus. Hinc tanta varietas iis temporibus fuit fortunæ, ut modò hi, modò illi in summo essent aut fastigio, aut periculo, c. X. Cujus quidem rei vel solus Cicero satis illustre, sed calamitosum etiam, dat exemplum. Quanquam ipse si semper paruisset Attico, se tristitiam illorum temporum non subiisse, fateatur *l. 8. Ep. 16. Att.* Verùm erat hic Vir natus ad Reip. salutem, ut cum Auf. Basso loquar, quæ diu defensa & administrata, in senectute demum è manibus ejus elabatur: non ipsius vitio læsa, quòd nihil in salute ejus aliud illi, quàm si caruisset Antonio, placuit.

T H. XL.

Obj.

Atque quæ potest esse Viro bono invidia, aut quis periculi quo salutem Civium suorum negligat? Quantæ verò laudi iis du-

7a
iis ducitur, qui non modò pecuniã, sed vitam etiã profundere,
pro Patria parati fuerunt. Quã turpiter contrã audit Callicrati-
des, qui suorum classem perdi malebat, quã se cum dedecore suo
fugere. Cari sunt, inquit Cicero, Parentes, cari liberi, propinqui,
familiares; sed omnes omnium caritates Patria una complexa est:
pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?
Verùm enim verò necdum Pomponius Noster tali crimine jure ac-
cusari posse videtur, quasi Patriæ aut Civibus suis deesse maluerit,
quò magis sibi prodesse possit. Neque enim ipse Patriam jam col-
labentem solus sustenturus erat, non, inquam, licet aliquot Cicero-
nes sibi optiones habuisset. Imò verò minùs fortè in Patriam pius
videri debuisset, si sanguinis civium participem sese voluisset esse,
hoc est, si fluctibus civilibus se commisisset. Utriusque partis causa
non adeò justa belli erat. Quapropter non tantùm sapienter, sed
justè etiã & animosè Remp. Noster non accessisse videtur.

Resp.

TH. XLI.

Privata igitur Attici fortitudo quemadmodum nec ipsa fuit
facilis, ita maximè fuisse conspicua videri potest recogitanti: Quan-
tis in rerum varietatibus jam inde à pueritia versatus fuerit, quam
quæ difficillima in tempora inciderit; & tamen ille pari fastigio ste-
terit in utraqve fortunã. At enim verò quem, qui aliquid humani-
tatis adhuc obtinet, non misereat, tam boni, tamquæ rarã Virtute
Gentiles inter tenebras conspicui Viri, ubi paulùm apud animum
perpenderit suum: Illum Virum, qui ex tot, tamquæ gravibus procel-
lis civilibus ad incolumitatem jam ita pervenerat, ut tranquillatis
tandem rebus Rom. cùm cæteros Civitatis Principes, tum ipsum re-
rum Dominum suã vitæ elegantiam cepisset, ut quibuscunquæ optatis
suis facilè donari potuisset; illum, inquam, consiliõne an errore di-
cam, sibi spontè, suis sed invitis, inediã vitam finivisse! Quantillum
vitæ reliquum erat septuagenario: & tamen tam breve istud tam
non appetendum homini? tam sine causa deserendum Prudenti ac
Forti?

Fortitudi-
nis obser-
vatio Atti-
ci.

Neglectus.

TH. XLII.

Vetasse Pythagoram, in jussu Imperatoris, id est, DEI, de præsi-
dio & statione vitæ decedere, noveras Tite ex ad Te scripto Catone
M. Percepta tenebas Platonis, Aristotelisquæ præclara hac de re præ-

D

cepta.

72.
cepta. Non latebat, quæ egregiè Tullius tuus *l. i. Tusc. Q.* disputarat. An tu, quem antea simulare videbare, nunc seriò sequi voluisti Epicurum? quippe ad dolores ita paratus, (sic ex illius disciplina differit Torqvatus *l. i. de Fin.*) ut memineris, maximos morte finiri: parvos multa habere intervalla quietis: mediocrium te esse dominum: ut si tolerabiles sint, feras: sin minus, æquo animo è vita, quum ea non placeat, tanquam è theatro exeas. Semel errasti Bone Vir! Quamquam nescio quam veniam ex eo capias, quòd hoc ipsum voluntariæ mortis genus non modò Philosophorum paradoxa; nec multarum tantùm gentium consuetudines (*de Massil. & Caens. Val. Max. l. 2. c. 1. §. 49. V. Elmenborst. Emend. ad l. 1. Apul. p. 35.*) sed & ipsæ tuæ Civitatis leges permetterent, *Grot. Jur. B. & P. l. 2. c. 19. n. 5.* Sed, etiam, usuras illè permittebant, Honores petere concedebant, Mancipem fieri non vetabant, in jus vocare non prohibebant; Tu tamen, quum scires non omnibus non bene factis pœnas imponi, etiam à licitis te abstinebas. O quam verè Cicero ad Te aliquando: Quam non est facilis Virtus, quam verò difficilis ejus diuturna simulatio! *lib. VII. ad Att. ep. 1.*

TH. XLIII.

Vidimus utcunqve T. Pomponium Att. gentilem hominem, sed Virtutis studio multis pro dolor! illustriorem Christianis, quos quidem se jactant. Vidimus quousqve Naturâ duce pervenerit, qui eò pervenire laboravit, ne quâ in re jure plecteretur, *cap. XI.* Non parum præter socios, fatendum est enim, præstitit. Sed majus, quod affectavit fuit, quam suis viribus eniti idem poterat. Laudem suam meruerunt Ethnici, qui, ut de se Tullius sæpe gloriatur, nullâ re magis lætati sunt, quam rectè factorum conscientiam. Et ejusdem ad Atticum *l. XIII. Ep. XX.* magna vox est: In omni vita sua quemq; à recta conscientiam, transversum ungvem non oportet discedere. Sed an homines isti interiorem naturæ immundiciem non agnoscetes, externæ disciplinæ admiratione fascinati, propriam nescio quam Justitiam & coram DEO constituere sategerunt? Hinc enim vox illa Socratis jamjam bibituri cicutam, referente *Erasmio Conviv. Relig.* An opera nostra sit probaturus Deus, nescio: certè sedulò conati sumus, ut illi placeremus. Est mihi tamen bona spes, quòd ille conatus nostros sit boni consulturus. Atqve admiranda illa Tullii
in

in Somn, Scip. Sed sic, Scipio, ut Avus hic Tuus, ut ego, qui te genui,
 justitiam cole & pietatem: &c. Et ea vita via est in cœlum, & in
 hunc cœtum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati illum inco-
 lunt locū, quem vides. At ἀγνοῦντες τὴν τῆς Θεῶν δικαιοσύνην, καὶ τὴν
 ἰδίαν δικαιοσύνην ζητοῦντες τησαί, τῆς δικαιοσύνης τῆς Θεῶν ἐκ ἰσο-
 τάτησαν, Rom. X, 3. Miseri homines ne externā disciplinam quidem
 αἰεμπῶς exercere valuerunt. Atticus Noster, cui nemo facilè in-
 ter suos naturæ bonitate præcelluit, ne Naturam quidem Ducem
 persequi perseveravit. Homines enim sunt hâc lege generati, qui
 tuerentur hunc globum, quæ terra dicitur. Hisq̄ve animus datus;
 quare piis omnibus retinendus est in custodia corporis, ut loquitur
 Cicero modò c. l. Doloris autem patientiâ, mortisq̄ve contemptu perfe-
 cta & consummata Virtus est, rectè Laët. l. IV. Inst. XXVI. At con-
 temtus iste μετὰ τῆς λόγῃς fiat, necesse est. Hinc igitur illustre fit, vi-
 res hominis in externis & civilibus imbecilles esse, & languidas, in
 spiritualibus planè nullas.

Ευλογητὸς ὁ Θεὸς, ὁ εὐλογῆσας ἡμᾶς ἐν πάντῃ εὐλογίᾳ πνευμα-
 τικῇ ἐν τοῖς ἐπιθρανίοις ἐν Χριστῷ!



CO-



79.
AKTc
844

COROLLARIA.

I. Privata esse naturâ, negat Cicero r. off, contra quem disputat Phil. Melanchth. in Comment. Nihilominus tamen hujus discipulus Ge. Cracovius, JCe. non veretur Ciceronem absolvere.

II. Vidua pauper Marc. XII. erogans omnem suam substantiam, non peccavit contra præceptum de beneficiorum Quantitate.

III. An & quousque Amici causâ aliquando delinquendum quærit AGell. l. 1. Noct. Att. c. 3. Cicero l. 3. off. Nunquam, ait, est utile peccare, quia semper est turpe: & quia semper est honestum, virum bonum esse, semper est utile.

IV. Judicium extremum agnoverunt Ethnici.

V. Actio quandoque bona est & honesta, licet Media honestatis speciem non habeant.

VI. Genus & Species differunt realiter, sive: Species differt realiter à Genere.

F I N I S.

927

Pon IIc 844, QK

ULB Halle
002 412 438

3



Von





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

